



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv  
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**

**Ricci, Bartolomeo**

**Mogvntiæ, 1605**

7 De Malignitate.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)

**M**ALIGNITATIS nomine volui appellare ea quæ sunt in hoc capite tractanda, quia natura sua originem habet ab animo maligno & perverso. Primum autem est **DETRACTIO**, quo bonum nomen alterius vel tollitur, vel extenuatur, & fit multis modis. Vno, falso illi imputando malum. altero, occultum malum patefaciendo. tertio, publicum exaggerando: quarto bonum silendo. quinto, bonum ab aliis eidem attributum minuendo, vel inficiando: sexto, frigidè illud fatendo, aut adiungendo **SED**, hoc est, aliud malum regerendo. Septimo, non defendendo, vt certè negligenter, quando calumniam patitur, maxime si ex officio illi incumbat, vt si sit superior, defendere: ac multo amplius si occasionem præbeat caluniæ, nam vt bene dicit S. Bernardus, nullus esset detractor, si nullus esset detractorum auditor. Ac scias, quantumuis animus tibi non fuerit alteri præcisè bonam famam adimere, si re ipsa adempta est, perinde est ac si adimere præsumpsisses.

**ALTERVM** caput comprehendit aliquas peccatorum species linguæ proprias vt est blasphemia, periurium, mendacium am-



phibologia, vt cum sermoni varii sensus possunt esse subiecti; homonymia, vt cum aliud ore loquimur, aliud in corde sentimus: Contentiones, clamor, adulatio, garrulitas, rusticitas, vt cum circumstantium sermones importunè interpellamus, vel his repugnamus, vel faceris nugisq; aures obtundimus. Vnde dicit S. Bernardus in libris de Consideratione. *Nuga in ore secularium nuga sunt, in ore vero religiosorum blasphemia.*

TERTIVM est IRA, quæ aliud non est, quam cupiditas vindicandæ iniuriæ illatæ. Primo autem peccari potest, si eam tantum foueamus interius in animo, quæ nonnunquam degenerat in maniam. Secundo, si erumpat in minas, vel verba iniuriosa. Tertio, si in ludibria, cõtumeliosos gestus. Quarto, in verbera, & pugnas. Quinto, si diuturno tempore indignatio alatur, contra monitum Pauli. *Sed non occidat super iracundiam vestram.*

QVARTVM sit ODIVM, quod duplex est. Vnum dicitur malevolentia, qua operamus alicui malum, & si illatum sit, exultamus. Alterum, auersio, quo interius in animo quempiam abominamur, exterius vero declinamus. Quo in genere præter modos

*Eph. 4.*



dos supradictos, delinquere possumus. primò, si à consuetis colloquiis, salutationibus & visitationibus abstineamus, vel si ita frigidè ista faciamus; vt porius contemptu, quàm humanitate prosequi videamur. Quomodo faciebant fratres Ioseph, de quibus scriptum est. *Et non poterant ei quicquam* Gent. 37.  
*pacifice loqui.* Si dum colloquimur, oculos coniiciamus non in frontem, sed in ea quæ sub fronte alterius sunt, si vultu toruo, si eo aduentante alio diuertamus, si ianuam in faciem occludamus, si doleamus nos debere eum videre vel audire loquentem, si exultemus in eius infortunio, aut aliorum de eo querelis.

QVINTVM est INVIDIA, quæ est dolor quidam, & cruciatus animi de aliena felicitate, quam vellemus illi non contigisse, ac præterea eam putamus nostro nomini obesse. Felicitas autem illa consistere potest vel in bonis animi corporisue naturalibus, vel in supernaturalibus & gratuitis, atq; etiam in bonis externis. vt si quis doleat alterum euectum ad dignitatem magnam ob præstantiam ingenii vel doctrine, sibiq; antelatum, opibus auctum,

SEXTVM sit iudicium temerariû, quando bene ab aliis facta quis interpretatur in

L1 3      dete-



deteriorem partem; vt si modestiam reputet hypocrifin, parsimoniam vocet auaritiam, liberalitatem appeller prodigalitatem. Deinde, si verba bona aut adiaphora in sensum peruersum trahat, vt si dicat se paratū ad tolerandum iniurias, ille suspicetur id fieri ex pusillanimitate, vel etiā ex superbia, vt videatur sanctus & humilis. Tertio, si iudicet, qua intentione talia dicantur vel fiant. vt si alium ex simplicitate quippiam dicentem, vel facientem, affirmet ad alios mortificandos id fecisse. Si malum exaggeret, si commemoret aliquid de alio, quod non conueniat eius statui, & nomini bono. Plus autem delinquitur, quando iudicium internum foris, vel verbis, vel nutibus proditur & diuulgatur. Idem dicendum est de suspicionibus temerariis, quando non exsertē aliquid affirmatur, sed cū dubitatione, & in vnam partem ita propendetur, vt tamen reformidetur, de cōtraria, vt quando coniecturæ, quibus nititur, non sunt admodum probabiles & manifestæ,

*De Vanitate.*

C A P. VIII.

**H** V I C capiti ideo hunc titulum præfixi, quod vana & inania sint, quæcunq; in

CO RIA